



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

9. Quid sit principium indiuiduationis rerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Confirmatur, quia etiam si forma, quæ est in hoc subiecto, nequeat communicari, aut simul, aut successiue alij subiecto, non inde habebit distingui numero ab alia forma eiusdem rationis, quæ posset poni in eodem subiecto, siue pro eodem tempore in sensu composito, aut diuiso, siue pro alio tempore: ergo ex illa necessaria connexion & restrictione non habet forma esse distincta numero ab omnibus aliis formis possibilibus.

Confirmatur secundo, quia quamuis forma existens in hoc subiecto nequeat habere communicabilitatem ad aliud subiectum, & quamuis nequireret aliqua alia forma esse, vel eodem, vel diuerso tempore in hoc subiecto, tamen hæc connexio non posset colligi ex subiecto, sed ex ratione particulari formæ, quæ ratio particularis ex alio capite deberet desumi: ergo potius principium indiuiduationis deberet assignari aliud illud caput, ex quo deflueretur illa connexio, quam subiectum.

62. *Idem auctor* replicat contra se hoc modo: forma habet ex se communicabilitatem ad subiectum, & in hoc genere redditur per materiam ulterius incommunicabilis ad aliud subiectum, quod informet: sed de se forma accidentalis non est communicabilis ad alias formas inferiores, cum ipsa sit infima.

Contra hanc replicam opponit, quod si forma accidentalis ex se sit incommunicabilis ad alias formas inferiores, etiam erit incommunicabilis ex se multis subiectis, quia eo ipso, quo est incommunicabilis multis inferioribus, erit vna numero, & eo ipso quod erit vna numero non poterit communicari multis subiectis, & multo minus transire de subiecto in subiectum, ergo &c.

Opponit præterea quod si accidens de se esset communicabile multis subiectis, & redditur solummodo incommunicabile per hoc subiectum aliis subiectis, ergo de se est vniuersalis per modum quinti prædicabilis, licet de se non sit communicabilis per modum secundi prædicabilis, hoc est speciei; sed incommunicabilitas quinti prædicabilis non conuenit accidenti, quod est vnum numero: ergo ut sit vnum numero, dependet ab incommunicabilitate per modum quinti prædicabilis.

Sed quidquid sit de valore replicæ, quæ mihi non probatur, quatenus dicit accidens determinari per subiectum, quia existimo, ut est communicabile vni subiecto, ita & cæteris eiusdem speciei tam simul quam successiue; nec etiam mihi probatur illa replicæ, quia dicit quod de se forma accidentalis sit incommunicabilis aliis formis inferioribus: nam si loquatur de forma quoad naturam specificam, id est falsum: si vero loquatur de ipsa, ut singularis, id quidem verum est secundum omnes, sed oportet ostendere quod non esset singularis à subiecto, à quo iuxta replicam habet incommunicabilitatem ad alia subiecta. Sed quidquid sit de hoc, ut magis enucleatur doctrina prædicti authoris, & confirmetur nostra.

63. *Respondet ad oppugnationem primam* eius quod bene posset forma singularis esse ex se incommunicabilis pluribus inferioribus, ac vna numero, & tamen ex se, hoc non obstante, esse communicabilis pluribus subiectis & simul & successiue, & poterit transire de potentia absoluta de subiecto in subiectum, & si hoc repugnaret ex aliquo particulari capite, posset produci primo in quocumque ex pluribus subiectis: ergo non sequitur quod habet incommunicabilitatem ad plura subiecta, ex eo quod habeat incommunicabilitatem ad plura inferiora formaliter loquendo & præcise.

Ad secundam impugnationem etiam respondeo, quod quamuis accidens singulare esset communicabile multis subiectis, adhuc non sequeretur quod esset vniuersale quinti prædicabilis, quia, ut postea dicemus, ad hoc vniuersale requiritur prædicabilitas de multis cum numerica multiplicatione: sed talis non sequeretur ex eo quod vnum accidens numero esset aut simul aut successiue, quantum est ex se, in pluribus subiectis, sicut non sequitur quod natura diuina sit vniuersale specificum ex eo quod communicetur per modum totius naturæ pluribus personis, ac ut sic prædicetur de illis; quia non communicatur cum multiplicatione, nec prædicatur ut

sic multiplicata. Imo ex doctrina insinuata ab hoc auctore hic, quod accidens ex se sit incommunicabile pluribus inferioribus potest confirmari nostra doctrina: nam per hoc quod sit sic incommunicabile, erit indiuiduum & singulare, prout singulare opponitur vniuersali, quia omne vniuersale est communicabile pluribus inferioribus cum multiplicatione, & propterea essentia diuina non est vniuersale, quia non est sic communicabilis, quamuis sit communicabilis pluribus subiectis absque multiplicatione numerica: ergo si accidens ex se & non à subiecto habet illam incommunicabilitatem, quamuis ex se non haberet quamcumque aliam incommunicabilitatem, sequitur quod non habeat esse indiuiduum, aut singulare à subiecto, quod est nostrum intentum.

CONCLUSIO II.

64. *Accidentia etiam respectiua & inseparabilia non indiuiduantur à subiecto.*

Probat primò, quia sicut cætera accidentia non indiuiduantur per subiectum, ita hæc non debent dici indiuiduari, nisi sit specialis ratio, quæ ad hoc cogat: sed non est: ergo. Probat minor, quia non est alia ratio præter inseparabilitatem ipsorum: sed hæc ratio nulla est, primò quia si ex inseparabilitate alicuius ab alio deberet indiuiduari per illud, Deus esset principium indiuiduationis omnium creaturarum, quia nulla creatura potest esse sine Deo. Secundo quia illa inseparabilitas potest provenire ex imperfectione entitatis relatiuæ non potentis existere sine adminiculo subiecti, & non ex eo quod indiuiduaretur per subiectum.

Confirmatur hoc, quia ratio, quare hæc similitudo, verbi gratia est determinata ad hoc subiectum ita, ut non possit esse sine ipso, est, quia est talis singularis entitas, ergo præsupponitur ipsius singularitas determinationi eius ad hoc subiectum præ alio.

Probat secundo, quia si deberet accidens respectiui indiuiduari ab aliquo extrinseco sibi, potius aut saltem æque, deberet indiuiduari à termino ac subiecto, cum essentia eius magis declararetur per ordinem ad terminum, quam ad subiectum.

Probat tertio, quia duæ paternitates eiusdem speciei possunt esse in eodem subiecto, si non simul, ut habet Scotus, certe successiue, ut habet communis opinio: ergo non indiuiduantur per subiectum.

CONCLUSIO III.

65. *Anima rationalis, & idem est de quacumque forma substantiali, non indiuiduatur per ordinem siue actuale siue aptitudinalem ad materiam primam.*

Probat, quia eadem numero forma substantialis potest esse in diuersis corporibus: ergo non indiuiduatur per ordinem ad corpus.

Probat secundo, quia aptitudo formæ ad corpus est proprietas ipsius: nulla autem res indiuiduatur per suam proprietatem, nam proprietas est singularis ex eo quod subiectum sit singulare.

Confirmatur per omnia, quibus probatum est materiam non esse principium indiuiduationis.

Confirmatur secundo, quia multo minus dependet à materia forma substantialis, & præsertim anima rationalis, quæ de facto existit sine materia: quam accidens à subiecto: ergo si accidens non indiuiduatur per subiectum, forma substantialis non indiuiduatur per materiam.

QUESTIO IX.

Quid sit principium indiuiduationis rerum.

Impugnatis aliorum Authorum modis dicendi, restat inunc, ut quid re vera dicendum sit, declaratur.

CONCLUSIO

66. *Principium indiuiduationis rerum, hoc est illud, quod formaliter constituitur indiuidua quacumque res, siue totalis siue partialis, siue substantialis siue accidentalis, siue materialis siue spiritalis, est aliquid positum realiter identificatum rei indiuiduæ, formaliter tamen ab ipsa distinctum, quæ entitas vocatur singularitas, quia facit rem, in qua est, singularem seu incommunicabilem, vocatur autem hæc entitas, quia facit rem determinatam & hanc vocatur indiuiduum.*

indiuidualitas vel Pauleitas, &c. quia contrahit naturam specificam ad Petrum & ad Paulum.

Hæc conclusio est Scotistarum omnium cum *Dott. 2. dist. 3. quæst. 6.* & multis aliis. *Probatur primo*, quia nihil aliud potest assignari, ut patet ex refutatione aliarum sententiarum.

Probatur secundò, quia sicut se habet rationalitas ad animalitatem, quam contrahit, ita etiam se habet Petreitas ad humanitatem quam contrahit: sed rationalitas est quid identificatum realiter animalitati, quam contrahit, & ab ipsa tantum formaliter distinctum: ergo similiter Petreitas erit quid identificatum realiter humanitati, & ab ipsa formaliter distinctum.

Probatur tercio, quia vnitas semper sequitur entitatē: ergo vnitas pumeralis, quæ est maxima vnitas, debet habere aliquam entitatem, ad quam sequatur; sed non sequitur ad naturam formaliter, nec aliquid aliud potest assignari, ad quod sequatur, præter aliquid posituum identificatum realiter naturæ specificæ, & distinctum ab ipsa formaliter: ergo datur huiusmodi entitas; quod si detur, certum est quod sit principium indiuiduationis: ergo. *Præterea* vnitas debet esse cōformis entitati: ergo si vnitas sit partialis, aut substantialis, aut spiritalis, aut materialis, aut accidentalis, entitas etiā debet esse talis.

Confirmatur, quia assignando huiusmodi principium indiuiduationis, vniformiter potest philosophari de omnibus rebus, & non est opus alio modo philosophari in rebus materialibus, & immaterialibus, totalibus & partialibus; quod tamen fieri non potest in sententia Thomistarum: ergo congruentius assignatur huiusmodi principium quam aliud.

67. Obiicies primò: omnis distinctio est per formam vel materiam; sed hæceitas illa, quam nos assignamus, non est forma, neque materia: ergo non est principium vllius distinctionis. *Probatur minor* quoad primam partem, quia omnis forma est perfectior re, cuius est forma: sed hæceitas non est perfectior natura specificæ: ergo. *Probatur minor* quoad secundam partem, quia illud, quod determinat aliud, est potius forma, quam materia.

Respondeo negando minorem pro prima parte, & distinguendo maiorem suæ probationis: omnis forma quidditatiua, & essentialis, transeat; non quidditatiua & essentialis nego maiorem, ut patet de formis accidentalibus, quæ non sunt perfectiores substantiis, in quibus subiectantur; & de intellectione, quæ non est perfectior intellectu; & de similitudine, quæ non est perfectior albo verbi gratia in quo subiectatur.

Respondeo, etiam negando minorem pro secunda parte, & distinguo eius probationem: si consideretur, ut est sic determinatiua, concedo, si verò consideretur, quatenus est pars minus principalis cōstituti ex ipsa & re per ipsam determinata, nego. Itaque vna & eadē formalitas secundum diuersas cōsiderationes potest habere rationē formæ & rationem materiæ; formæ quidem, ut est quid determinatiuum; materiæ verò, ut est pars illa, ratione cuius non differt habens ipsam essentialiter ab alio.

68. Obiicies secundò: hæceitas in nostra sententia esset substantiæ identificata realiter, ergo esset substantialis & consequenter de essentia substantiæ: sed hoc est absurdum, ergo.

Respondeo negando secundam consequentiam: neque enim omne substantiale debet esse de essentia substantiæ, cui identificatur, alias proprietates rei essent de essentia eius, quia sunt substantiales, & attributa diuina formaliter essent de essentia Dei, quia sunt substantiales, & consequenter non essent attributa.

Dices cum Ioanne à sancto Thoma: si est substantialis entitas, ergo in aliqua substantia fundatur, quia vel est entitas substantialis, vel modus substantialis: si entitas, non distinguitur ab ipsa re, quæ est substantia; si modus, ergo fundatur & originatur in ipsa substantia, & sic aliquid in ipsa substantia assignandum est, ratione cuius conueniat ipsi talis modus; non aliud quam materia: ergo formaliter materia est principium radicale indiuiduationis.

Respondeo hæceitatem substantiæ esse formalitatem substantialem, & accidentis accidentalem; sicut differentia metaphysica substantiæ est substantialis, & accidentis accidentalis: distinguitur autem, hoc non obstante, ab ipsa substantia, in qua est, & gradibus essentialibus eius eo modo, quo rationalitas distinguitur ab homine & animali; nec debet esse modus substantialis, sicut nec rationalitas est modus, aut si hæc dicatur modus, & hæceitas potest vocari modus. Itaque quomodocumque discutitur de rationalitate, eodem modo discutitur debet proportionem seruata de Petreitate, nec vlla prorsus est disparitas quantum de hoc, aut vlla difficultas de vna magis quam de altera.

69. Obiicies tercio: Hæceitas illa, si daretur, esset perfectior quam differentia specificæ; sed hoc est falsum, ergo. *Probatur sequela* maioris, quia esset posterior generatione quā differentia specificæ: sed quæ sunt posteriora generatione, sunt perfectiora iuxta Philosophū 7. *Met.*

Respondeo negando maiorem & distinguendo minorem suæ probationis: si sint eiusdem ordinis, hoc est, si utrumque sit essentialis, aut utrumque accidentale, transeat: si vnum sit essentialis, & alterum accidentale seu non essentialis, nego. Quod autem responsio hæc sit fundata, patet, quia calor ignis posterius generatur, quam ipse ignis, & tamen nemo dixerit quod sit perfectior igne: similiter risibilibus hominis est posterius homine, & tamen homine imperfectior. Itaque cum hæceitas non sit eiusdem ordinis cum differentia specificæ, non enim est essentialis sicut illa, quamuis esset posterior generatione quam illa, non tamen deberet esse perfectior. *Præterea* illud axioma non currit nisi in rebus realiter distinctis & producibilibus per diuersas actiones reales qualia non sunt differentia specificæ & hæceitas, quæ per eandem realem actionem producentur.

70. Obiicies quarto ex Caiet. omnis actus singularis præsupponit potentiam singularem: sed hæceitas nostra esset actus singularis naturæ specificæ: ergo præsupponeret naturam specificam singularem, & consequenter constitueret & non constitueret ipsam singularem, quod implicat.

Respondeo distinguendo maiorem: si non cōstituat singularem, concedo; si constituat, nego. Itaque vniuersaliter loquendo nulla causa formalis præsupponit subiectum suum in illo esse, in quo illud constituit, seu non præsupponit in subiecto illum effectum, quem ipsi debet tribuere: cum ergo singularitas sit causa formalis singularizans naturam specificam, non debet ipsam præsupponere singularitatem. *Præterea* argumentum potest retorqueri contra aduersarios, quia quidquid ipsi constituunt principium indiuiduationis, debet esse actus singularis: ergo, si valet argumentum, debet præsupponere naturam singularem, & consequenter constitueret & non constitueret naturam singularem.

71. Obiicies quinto: Quod repugnat vni & cōuenit alteri, debet præsupponere ipsa distincta; alias enim vni non magis repugnaret, quā alteri: sed Petreitas conuenit Petro, & repugnat Paulo: ergo præsupponit ipsa distincta.

Respondeo primò, retorquendo argumentum, quia quidquid ipsi etiam ponunt esse principium indiuiduationis Petri, debet ipsi cōuenire & repugnare Paulo: ergo præsupponit illa distincta, & consequenter non constituit illa distincta.

Respondeo secundò, distinguendo maiorem: si non sit principium distinctuum iporum, concedo; si sit, nego, & concessa minori, nego consequentiam, quia Petreitas est principium distinctuum Petri à Paulo.

72. Obiicies ultimo: sequeretur quod in quolibet indiuiduo cōposito darētur multæ hæceitates, v.g. hæceitas materiæ, hæceitas formæ, hæceitas cōpositi: sed hoc est absurdum, quia alias haberet etiā plures existētiās.

Respondeo distinguendo sequelam: plures hæceitates particulares, concedo; totales, nego, & nego etiā minorem, & ad probationem eius dico non esse absurdum in quolibet cōposito physico esse plures existētiās partiales corref. & lētes pluribus partibus, ex quibus cōponitur: imo

imo id est necessarium, quandoquidem illa possint existere seorsum sine se inuicem, & sine toto ab illis resistent; & quandoquidem, ut suppono iam cum communiori sententia in Metaphysica probanda, existentia rei cuiusque siue completæ siue incompletæ, non distinguitur realiter ab ipsamet re.

An quælibet formalitas metaphysica habeat propriam hæccitatem.

73. *Et si quæras*, utrum quemadmodum qualibet pars physica habet propriam existentiam partialem & propriam hæccitatem partialem distinctam realiter ab existentia & singularitate alterius partis, ita etiam qualibet pars metaphysica habeat hæccitatem & existentiam distinctam formaliter ab existentia & hæccitatem alterius partis.

Respondetur, probabile esse quod sic, quia si esset eadem existentia & hæccitas formaliter, qua indiuiduaretur & existeret animalitas hominis & rationalitas hominis, non posset intelligi animalitas hominis esse singularis, aut existere, quin intelligeretur rationalitas existere & esse singularis: sed hoc est falsum, ergo.

Dicitur, non posse rationalitatem hominis existere aut esse singularem, quin existat, & sit singularis animalitas eius: ergo præter existentiam & singularitatem qua existit, & singularizatur eius rationalitas, non exigitur alia formalitas distincta, qua existat & sit singularis eius animalitas.

Respondetur distinguendo consequens: non exigitur alia realiter distincta, concedo: formaliter distincta, nego consequentiam.

Aduertendum autem pro complemento huius rei, quod licet illud positum, quod iam explicuimus, sit principium formale indiuiduationis cuiuslibet rei: tamen, quoties res indiuidua constituitur ex partibus realiter distinctis, quarum qualibet est singularis, illæ partes ut singulares, sunt principium radicale indiuiduationis istius rei: nam si non fuisset res constans ex illis partibus, non fuisset illud singulare, quod est, sed aliud singulare: & vniuersaliter quæcumque constituunt intrinsece aliquam rem, possunt vocari principia & radices omnium prædicatorum convenientium isti rei, de quo non est vlla difficultas. Quando vero res non constituitur ex partibus physicis, sed est physice simplex, tum non querendum aliud principium aut radix indiuiduationis, præter totam entitatem rei istius simplicis, quæ physice considerata potest dici principium omnium prædicatorum istius rei.

QVÆSTIO X.

Utrum inter indiuidua eiusdem speciei detur aliqua dissimilitudo aut inæqualitas præter hoc quod vnum non sit alterum.

74. *Hæc* quæstio proponitur particulariter de anima rationali in tractatu de anima, querendum an omnes animæ rationales sint eiusdem perfectionis, supponendo quod sint eiusdem speciei; sed quia æque posset dubitari de quibuscumque indiuiduis eiusdem speciei ac de indiuiduis animæ, satis congruum videbatur eam hic vniuersaliter proponere, ubi de omnium indiuiduorum natura, qua indiuidua sunt, agitur.

Pro resolutione autem aduertendum est quod sine dubio indiuidua eiusdem speciei possunt esse dissimilia, & inæqualis perfectionis accidentaliter, quatenus scilicet vnum indiuiduum, verbi gratia Petrus, haberet perfectiora accidentia, quam aliud indiuiduum, verbi gratia quæ Paulus, & sic quotidie videmus quosdam homines melioris esse ingenij, ac indolis, ac sanioris complexionis quam alios homines. Certum etiam est indiuidua eiusdem speciei constantia ex partibus heterogeneis, ac etiam homogeneis posse esse inæqualis perfectionis substantialis integralis: sic enim cæcus ac mancus sunt substantialiter imperfectiores quam homines illi, quibus nulla pars integralis deest. Sed quæstio non est in hoc sensu, sed an indiuidua vnius speciei constantia partibus etiam integralibus omnibus eiusdem speciei, sint aut possint esse inæqualis perfectionis substantialis ex natura sua intrinseca substantiali indiuiduata, verbi gratia duo Angeli, aut duo ignes eiusdem magnitudinis, aut duo homines habentes partes integrales omnes eiusdem naturæ sine defectu vllius partis ex parte vnius, qui defe-

ctus non sit ex parte alterius. Vbi supponitur pro certo, quod si sint inæqualis perfectionis aliqua huiusmodi indiuidua ita, ut vnum sit perfectius, aut imperfectius altero, aut possit aliquid facere, cui simile non posset fieri ab altero, quod differentia & inæqualitas illa non possit conuenire ipsi ratione naturæ specificæ, quæ supponitur esse eiusdem rationis ac perfectionis in vtroque sine vlla differentia, unde debet necessario provenire formaliter, & proxime à differentia indiuiduante, & remote ac radicaliter à fundamento vel radice, unde sumitur illa differentia indiuidualis seu hæccitas.

75. *Prima sententia* asserit inter indiuidua eiusdem speciei dari posse huiusmodi diuersitatem & inæqualitatem in perfectione, eamque de facto dari inter aliquas animas rationales; existimant enim animæ Christi Domini, quamuis eiusdem speciei sit cum cæteris animabus rationalibus, esse tamen perfectiorem ex se & sua ratione indiuiduali, quam vlla alia anima. Hanc videtur olim tenuisse communiter Vniuersitas Parisiensis, nam inter articulos ab illa damnatos reperitur oppositum huius sententiæ. Eam tenet directe Caiet. 1. par. qu. 85. art. 7. Ruuius 2. de anima cap. 3. qu. 3. & alij plures, fauereque ipsemet D. Thom. tum 1. p. q. 85. art. 7. tum in 2. dist. 32. q. 2. art. 3. Sed & Doctor etiam noster pro ea citatur 3. dist. 15. n. 12.

Aliqui autem intelligunt hanc sententiam sic, ut velit quod necessario omnia indiuidua cuiuslibet speciei debeant esse inæqualis perfectionis. Ita Fonseca 5. Met. c. 28. quæst. 16. Alij vero intelligunt eam sic, ut possint quidem esse, & de facto aliqua indiuidua, verbi gratia aliqua animæ rationales sint inæqualis perfectionis, licet possint esse, & verisimiliter sint aliqua alia indiuidua æqualis omnino perfectionis absque vlla diuersitate vel inæqualitate, Ita Auerſa qu. 9. sect. 14. Arriaga dist. 1. de anima, sect. 8.

Secunda sententia distinguit de duplici specie, vna logica, quæ scilicet sit prædicabilis in quid complete de pluribus numero tantum differentibus; altera physica, quæ est illa, quæ reputatur pro infima communiter à Philosophis ac Theologis dum tractant de ipsa, quamuis logice loquendo non sit infima. Et hoc supposito dicit, quod indiuidua eiusdem speciei logicæ non sint, nec possint esse inæqualis perfectionis, bene tamen duo indiuidua vnius speciei physica possint esse inæqualia in perfectione. Hanc tenet Auerſa supra sect. 13.

Tertia sententia absolute & simpliciter tenet, indiuidua eiusdem speciei esse non posse inæqualis perfectionis, sed necessario æqualis. Hanc tenet Dur. Argent. Sencinas, Sorus, Tolerus, & alij, quos citat & sequitur noster Canell. dist. 1. de anima sect. 10. Quia vero sine dubio loquuntur hi authores de specie metaphysica, seu illa natura, quæ potest habere rationem speciei logicæ, non credo eos habere cum secunda sententia aliam controuersiam quam de nomine.

CONCLUSIO I.

76. *Si vlla indiuidua eiusdem speciei habent aliquam dissimilitudinem aut distinctionem præter hanc quod vnum non sit alterum, omnia habebunt aliquam eiusmodi dissimilitudinem.* Hæc est expresse cõtra Arriagã supra sublezione tertia. Probatur, quia illud ipsum fundamentum quod habetur ad probandum dissimilitudinem ac distinctionem talẽ inter aliqua indiuidua, habetur ad eam probandam inter omnia: ergo si datur inter aliqua, datur inter omnia. Probatur antecedens, quia ideo, maxime secundum Arriagã, aliqua indiuidua debent esse sic dissimilia, quia sic sunt dissimiles duæ visiones diuersorum alborum, & duæ visiones eiusdem albi ab eadem potentia productæ, quandoquidem illæ magis disconueniunt inter se quam duæ visiones eiusdem albi; & ex duabus visionibus eiusdem albi ab eadem potentia productis, vna petat vniri per vnionem, per quam altera vniri non possit. Sed non sunt vlla prorsus duo indiuidua tam similia, quin vnum petat posse intelligi intellectu, per quam alterum non possit intelligi: ergo idem fundamentum dissimilitudinis habetur vtroque.

M 4

Confirmatur

Si vlla indiuidua habent distinctionem plus quàm numericam omnia talẽ habebunt: